



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **AMIDENSIS CHALDAEORUM\*** EPISCOPALIS  
SEDES AMIDENSIS CHALDAEORUM, IN TURCARUM DITIONE,

AD ARCHIEPISCOPALIS GRADUM ATTOLLITUR. Chaldaici ritus christianis fidelibus, in Turcarum regione  
degentibus, quo aptius consuleretur, opportunum visum est sacris Praesulibus in synodo  
congregatis, quae Romae habita est a die XXIV ad XXVII mensis novembris, anno proxime  
elapso, cuique praefuit venerabilis Frater Paulus II Cheikho, Babylonensis Chaldaeorum  
Patriarcha, idque statuerunt, ut sedes episcopalis Amidensis Chaldaeorum, vulgo Diyarbekir  
appellata, ad archiepiscopalis gradum et dignitatem evehheretur. Quod igitur propositum  
statutumque est, suprema qua pollemus in universam Ecclesiam potestate de more probamus  
atque confirmamus, sedemque episcopalem Amidensem Chaldaeorum *ad gradum*  
*archiepiscopalis* attollimus iubentes ut quae his sub plumbo Litteris decreta sunt ille ad effectum  
adducat qui, tempore executionis, Sedis Apostolicae negotia in Turcarum ditione procuret, vel per  
se vel per alium delegatum virum. Qui vero rem perfecerit congrua documenta exarari iubeat ad  
Sacramque Congregationem pro Ecclesia Orientali mitti, de more signata sigilloque  
impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita  
quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim  
suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta  
officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis  
Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et  
locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica  
dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda  
erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Ianuarii, anno*

*Domini millesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.*

*Pro S. R. E. Cancellario*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

GUSTAVUS Card. TESTA

*S. Congr. pro Ecclesia Orient. Pro-Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens*

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*

Ioannes Calleri, *Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 8, pp. 560-561 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana